c ridem uocare lacteum florem, satis testatur quarta Ranunculi species, cuius etiam florem, qui colore huic similis est, lacteum esse scribit. Semen quoque in siliquulis tam exiguum producit, ut, Plinio etiam teste, uix aspici possit: radicem autem exilem atque acrem, cui ineſt Nasturtij odor.

LOCVS.

Nascitur incultis locis, circa itinera & prata.

TEMPVS.

Verno tempore apparet, Aprili potissimum mense & Maio, duratq; ad æstatis initia, quo potissimum tempore lacteum florem fundit: initio enim purpureo colore maculatus uidetur: efficaciorem q; usum obtinet, quod tum semen etiam in siliquulis proferat.

TEMPERAMENTVM.

Ex quarto est ordine calefacientium, ut Nasturtium, minus tamen eo desiccat.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Radix calefacit & adurit. Vtilis est ad coxendicis dolores cum suillo adipe salso, emplastri modo quaternis horis illita. Deinde in balneū descendatur, & oleo cum lana locus perungatur.

EX GALENO.

Similis Nasturtio tum odore, tum gustu, tum uiribus.

EX PLINIO.

Coxendicibus & articulis omnibus cum axungia modica utilissima, uiris plurimum quaternis horis, fœminis minus dimidio adalligata, ut dein in balneum descendatur in calidam, & postea oleo & uino corpus perungatur, diebus q; uicenis interpositis idem fiat, si qua admonitio doloris superſit. Hoc modo rheumatismos omnes sanat occultos. Imponitur in ipsa inflammatione, sed imminuta. Adalligata
D capiti cum Quinquefolio, epiphoras & si qua in oculis uitia sunt, emendat.

APPENDIX.

Recentiores herbarij eius herbæ cuius picturam damus usum probant contra pediculos si lixiuio incoquatur. Vnde colligere licebit, eam exiccandi & ex alto euocandi trahendiq; facultatem, haud secus atq; Nasturtiū aut Sinapi, habere. Nam, Galeno lib. i. de compoſit. med. secundum locos, cap. vij. teste, medicamenta quæ phthiriasi medentur necessariò exiccant atq; ex alto trahunt. Vt iterum euidentissimum sit hanc herbam, eo quod Nasturtij facultates obtineat, esse ueram Hiberida, non obstante quod rarò aut nunquā duabus, sed una potius & exili nitatur.

DE HIPPOSELINO. CAP. CXXII.

NOMINA.

Officinarum error.

Hipposelinū unde dictum.

Olus atrū quare appellatum.

ΙΠΠΟΣΕΛΙΝΟΝ Græcis, Olus atrum Latinis dicitur: officinæ eius semine perperam pro Petroselino macedonico utuntur. Germanis groß Eppfich/oder groß Eppich appellatur. Hipposelinon autem à magnitudine dictum est: siquidem Græci magnis & amplis rebus hippo præponere solent, adeò ut Hipposelinū Latinis nihil aliud nisi grande Apiū sit. Olus autem atrum uel pullum à foliis, quæ atro colore nitent, appellatum esse uidetur.

FORMA.

Maius est hortensi Apio, caule cauo, alto, tenero, ueluti lineas habente, foliis latioribus, subpuniceis, Libanotidis coma, plena flore, in corymbos antequā defloreat cōgesta, semine nigro, oblongo, solido, acri, odorato, radice odorata, intus candida, ori grata, pro caulis magnitudine non admodū densa. Porrò ne mireris quod picturæ non ex omni parte respondeat descriptio: neq; enim Hipposelinum integrum, & quod ad perfectam peruenit ætatem, floresq; & semen produxit, damus, sed id